UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Epiphora.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

ῥήματος ἐπικύρωσις καὶ βεβαίωσις ſermonis dicti confirmatio & corroboratio: vbi ſtatim ſentētiæ, ſeu propoſitionis allatæ ſubijcitur ratio, vt apud Demoſthenem, de corona, Δεινὸν μὲν ὦ γῆ καὶ θεοί· πῶς γὰρ οὔ, κατὰ τῆς πατρίδος. Graue illud quidem, ô terra, & Dij! quomodo enim non eſſet graue contra patriam?

Epidiorthoſis

Alexander. Ab Alexandro Rhetore à Prodiorthoſi diſcriminatur, quod hæc ante dicti cuiuſdam acerbitatem præmuniat auditorem: Illa orationem iam durius prolatam corrigat & mitiget.

Epimone.

Commoratio, cum in loco firmiſſimo, quo tota cauſſa continetur, imanetur diutius. Cic. 4. ad Heren. ἐπὶ πλεῖον, ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ νοήματος ἐπιμονὴ μετ' αὐξήσεως. Alexander Rhetor.

Epiphonema.

Iul. Ruf. p. 18. Hæc ſententia in fine expoſitæ rei cum affectu enuntiatur. Cicero in Verrinis, non vitam liberam, ſed mortis celeritatem precabantur.

Epiphora.

P. Rut. p. 3. Epiſtrophe & Anaſtrophe. Inter hoc ſchema, & Epibolen, hoc intereſt, quod in ſuperiore vnum pluribus ſententijs anteponitur: in hoc autem omnium ſententiarum, vnum, atque idem nouiſſimum verbum. Soſicratis, Nō enim alius, quis eſt, cuius opera in has difficultates inciderimus: Sed initio ad bellum ſuſcipiendum vos primum impulit Philippus. Deinde in ipſo belli labore ac periculo deſeruit nos Philippus. Nouiſſimæ nunc calamitati noſtræ, atque culpæ, ſuccenſuit idem Philippus.

Epiplexis.

Iul. Ruf. p. 27. Siue epitimeſis Fit hæc figura cum iurgamur, aut coarguimus. Cic. in Catilinam, Patēre tua conſilia non ſentis? quem noſtrum ignorare arbitraris? Teren. Non ego te vidi manum, &c. Virg.

Non ego te vidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidijs?

Epipocle.

P. Rut. p. 4. In hoc ex prima ſententia, ſecunda oritur, ex ſecunda tertia, atque ita deinceps complures. Nam quemadmodum catenam multi inter ſe circuli coniuncti vinciunt; ſed huius ſchematis ſeriem complures ſententiæ inter ſe connexæ continent. Lyſiæ, Conſtant igitur, iudices, Simonem domo ſua, ab illis Dijs penatibus, vi cum ſumma iniuria eſſe exturbatum. Nam Cheremenes cum hominibus armatis ad eum venit, cum veniſſet, ſine vlla religione domum eius expugnauit: expugnata vi domo, familiam abſtraxit: abſtractam, tormentis omnibus excruciauit: cruciatam, vinxit: vinctam, in publicum proiecit: opinor ne ſuum maleficium tacitum lateret, ſed vt cum prætereuntes proſtratam familiam viderent, & à vicinis rem geſtam audirent, ſimul & oculis, & auribus, ſcelus illius vſurparent. Item, Lycurgi. At mihi mirum videtur, quòd tam excelſum boni gradum, homo ſummi laboris exceperit? Nam cui præſto eſt ſua voluptas, induſtrius ſit neceſſe eſt: induſtriam verò ſcientia conſequitur: ex ſcientia, copia & facultas ingenij naſcitur: ex qua facultate vera, & facili, felicitas laudis oritur. Neque enim temerè diligens ſtudium virtutis, fructus fortunæ fallit.

Epiſtrophe.

Iul. p. 503 Eſt, cum in eadem verba plures ſententiæ deſinunt. vt, Horatius,

Si curtatas inæquali tonſore capillos
Occurri, rides: ſi forte ſubucula pexa
Trita ſubeſt tunicæ, vel ſi toga diſſidet impar,
Rides.

Alia ſpecies Epiſtrophes artificioſa, cum non eadem quidem verba repetuntur. Sed tamen periodi per certum & deſtinatam aliquam dictionem concluduntur. Vide exemplum apud Method. homil. de hypapante p. 30. vbi per Epithe ta claudit. Aquis.

Quale forſitan ſit, —*ſimilis ſi cura fuiſſet,*
Tunc quoque fatalibus Teucros armare fuiſſet,
Et, *Impius ante aras, atque auri cæcus amore.*
Latine dicitur reuerſio.

Epitheton.

Etiam inter figuras numerari ſolet, quod appoſitè collocatum, venuſtè colorat orationem.

Epithrocaſmus.

Percurſio. Hæc rurſum figura differt à coaceruatione: quod cum illa res diuerſas plures in eundem locum conferat, hac diſtantia plura inter ſe percurrens velocitate ipſa circumponit: vt ſi velis dicere, Cæſar in Italiam euolarat, Cornificium præſidio deſertum ceperat, vrbe potiebatur, Pompeium perſequebatur. Idem Alexander Rhetor τὰ πολλὰ διεστηκότα συνάγει καὶ ἀξιόπιστα.